Hor. *Carm.* II, XVI

Otium divos rogat in patenti
prensus Aegaeo, simul atra nubes
condidit lunam neque certa fulgent
sidera nautis,

otium bello furiosa Thrace, 5
otium Medi pharetra decori,
Grosphe, non gemmis neque purpura ve-
nale neque auro.

Non enim gazae neque consularis
submovet lictor miseros tumultus 10
mentis et curas laqueata circum
tecta volantis.

Vivitur parvo bene cui paternum
splendet in mensa tenui salinum
nec levis somnos timor aut cupido 15
sordidus aufert.

Quid brevi fortes iaculamur aevo
multa? Quid terras alio calentis
sole mutamus? Patriae quis exsul
se quoque fugit? 20

Scandit aeratas vitiosa navis
Cura nec turmas equitum relinquit
ocior cervis et agente nimbos
ocior Euro.

Laetus in praesens animus quod ultra est 25
oderit curare et amara lento
temperet risu: nihil est ab omni
parte beatum.

Abstulit clarum cita mors Achillem,
longa Tithonum minuit senectus 30
et mihi forsan tibi quod negarit
porriget hora.

Te greges centum Siculaeque circum
mugiunt vaccae, tibi tollit hinnitum
apta quadrigis equa, te bis Afro 35
murice tinctae

vestiunt lanae: mihi parva rura et
spiritum Graiae tenuem Camenae
Parca non mendax dedit et malignum
spernere volgus. 40

Scansionato con CamScanner